

Isaac Heinrich Salomonsen


Dissertatio Inauguralis Sistens Meletemata Medico-Practica Circa Irritabilitatem Eamque Comitantes Affectiones


Buetzovii: Ex Officina Fritziana, [1784]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn882923382>

Druck Freier  Zugang







Bützow 031

DISSERTATIO INAUGURALIS
SISTENS
MELETEMATA MEDICO-
PRACTICA
CIRCA
IRRITABILITATEM

EAMQUE
COMITANTES AFFECTIONES,
QUAM
CONSENSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA
BUETZOVIENSI
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS

DIE 2. JANUARIi ANNI MDCCLXXXIV.

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI


SUBMITTIT

AUCTOR

ISAAC HEINRICH SALOMONSEN

HAFNIENSIS.

BUETZOVII
EX OFFICINA FRITZIANA.



IRITABILITÄT
PRO GRADU DOCTORIS
SUNNISOE IN MEDICINA
DIE 1. JANUAR ANNI MDCCLXXV
COLEMMI MEDICINAE EXAMINI
AUCTOR
ISAAC HEINRICH SALOMONSON
HABESIT

אל איש אשר שמו נודע בשערים , הפארת חכמים
והדרת נכונים , הה החכמו השלם השר והנגיד מאוד
נעלה , אשר לו דומיה תהלה , מוהרר טיכסן מועצי
חצר מלך מעקלענבורג ומראשי ישיבת ביטצוא המהוללה
ישמרהו צורו לעד!


נא אם מצאתי חן בעיניך אדוני רבי ומורי , קח נא
את מנחתי אשר הובאת לך , הנה היא ראשית בכורי
פרי תבונתי הקצרה אשר חנן אלהים את עבדך , הקרשתיה
לך , קחנה מידי , ויקרא שמך המהולל עליה , למען
ידע כל קורא מגילת ספרי כי יקרו דבריה בעיניך ,
ולעבדך יהיה לכבוד ולהפארת ,

עבדך הצעיר יצחק אייזק בן כהרר " " חיים שוחט יצו " " מקה

המכנה

ISAAC HEINRICH SALOMONSEN,

ביטצוא יום " כסליו שנת ולכל כשרו מרפא לפק





PRAEFAMEN.



Specimen pro laurea in Medicina
obtinenda, ut fert consue-
do, conscripturus, diu mul-
tumque mecum hæsitati, quamnam viribus
meis fatis aptam eligerem materiam, tandem
vero, reciprocatis huc & illuc calculis, cogita-

ta quædam practica quæ adhucdum experien-
tia qualiscunqve me docuit, de irritabilitate,
quæ nostra tempestate sævit, eamqve| conco-
mitantibus adfectionibus, cum orbe erudito
communicare decrevi. Si quis scire aveat, cur
ex pluribus elegerim hoc argumentum, sciat
velim, me in hac morborum classe occupa-
tum fuissē, eorumqve qualitatū non exper-
tem, sed ea, quæ fieri potuit, opera expertum;
ad hoc enim præsertim studium me rapit ani-
mus. Fallor? an ipsam invidiam ita fari au-
dio: quanta protervitas, quanta temeritas &
audacia! quomodo tirunculus adhuc, cui bar-
ba bisve semelve refecta fuit, experientiam ja-
ctitet?

Pro-

Projicit ampullas & sesquipedalia verba!
Ineptiarum talium pertædeat, rumpantur ilia
risu! Ast rumpantur ilia Momo! Libeat male-
volis hisce experientissimos in arte Machaonica
consultere viros, ab iisque exquirere, utrum in
valetudinariis & nosocomiiis a graviter discum-
bentibus, an vero in conventibus publicis, v. g.
Comœdiis, dramatibus musicis, ludis saltato-
riis, choreis frequentandis, conviviis, ambu-
lacrâ & Xystis, diversoriisque & hetaeriis, ali-
isque locis, ubi major est frequentia hominum,
a personis ibidem obviis plura huc spectantia
didicerint. Præceptor meus, ad rugam & ro-
gum usque ea, qua par est, animi demissione

colendus, eruditionis fama celeberrimus Pro-
fessor TODE, cui maxima ex parte, quicquid
in medicina calleam, debeo, grato nunquam
non agnoscendum animo, quamvis rebus gra-
visimis & occupationibus tam publicis quam
privatis quotidie obrutus sit; tamen, quantum
in ipso est, aliquid temporis occupationibus
suis eripit, quod honestissimorum utriusque
sexus hominum conventibus, dummodo ali-
cujus celebritatis sint, impendat, ex quibus
scholis, quicquid in arte sua, præcipue in vera
irritabilitatis cognitione, lucratus fuerit, pra-


XIS

xis ipsius & scripta publica satis superque lo-
quuntur.


Hujus vestigia premens, eumque imitans
& æmulans, sumptibus (absit invidia dictis)
nunquam peperci, ut in conventibus celebri-
um hominum irritabilitatem, cujus noscitan-
dæ, nescio qva, cupiditate feror, propius inspi-
ciam, & si datur, olim perspiciam.

Theoriam hujus mali, affectionumque
idem prodentium, nemo a me heic expectet.
Curationem si quis expetit, ejus, meo quidem
judicio & experientia, præcipua capita tribus,
ut ajunt, attingi verbis. In id inprimis nervos
inge-

ingenii animumque intendi, ut innumera, inter se discrepantia, hujus mali symptomata quoad ejus fieri potest, exponam. Hic mihi fuit animus, hæc mea mens, & ad hunc scopum, mea quidem opinione, cujuslibet morbi descriptio imprimis collineare debet.



TRA-



TRACTATIO.

§. I.



Illa corporis humani viventis conditio, qua non modo graviter vehementerque sed aspere quoque & acerbe, quid? quod enormiter interdum, afficitur causis, quibus e contrario homines, prospera utentes valetudine, membrorumque firmitate præditi, aut nullam, aut levem tantummodo, nec ullius fere momenti, mutationem subeunt, mihi audit *irritabilitas*.

B *Beobachtung* §. 2.



§. 2.

Hanc multiplices variæque, imo toto quasi cœlo diversæ & inter se discrepantes, produnt affectiones, quæ si sexum affligant masculinum, *Hypochondria*, si vero sequiorem exercent & infestent, *Hysteria* vulgo nomine veniunt *) qui bini morbi nomine quidem distincti, revera tamen unus idemque sunt, iisdem causis natales suos quippe debentes.

§. 3.

Horum autem symptomatum iliada, Proteo mutabiliorem recensurus ego pauca quidem in antecessum dicere & præmonere necesse habui. Sunt observanda:

- i. Non omnia individua uno eodemque confirmiter exagitari modo; alia enim his, alia aliis, con-

*) *Prioris* denominationis ratio hæc est: quod veteres huius mali sedem locarunt apud masculos in visceribus, quæ $\tau\omega\ \chi\omicron\iota\delta\epsilon\omega\ \dot{\upsilon}\pi\omicron\kappa\epsilon\iota\upsilon\sigma\iota$ s. costis nothis subjacent: *Posterioris* autem ratio, quia apud foeminas $\tau\eta\ \dot{\upsilon}\sigma\epsilon\gamma\epsilon\alpha$ s. utero natales suos debere autumarunt veteres.

conflictantur molestiis, mirum in modum discrepantibus.

2. Symptomata in uno eodemque subjecto non semper eadem esse; hodie enim hæc, cras alia obtinent, interdum per intervalla plane absunt, vel exigui tantum sunt momenti.
3. Sexus habendam esse rationem; horum enim symptomatum aliquot in fœminis, instante menstruorum fluxu, vim suam exserunt, ita quidem, ut mensium prodromi vocari mereantur.
4. Lentis quasi gradibus sensimque inserpere ejusmodi malum, invalescens autem satis esse furiosum.
5. Ad aliorum morborum adfociationes respiciendum esse, prouti nec latitantia in corpore cujusdam morbi vel reliquæ vel seminia susque deque habenda sunt.
6. Non prætereunda esse vivendi genus, æque ac auxilia, quibus æger in antecessum usus fuerit,

B 2

quippe



qvippe quæ, si male & perperam, quod ut plurimum accidit, adhibita fuerint, morbum, imprimis chronicum, non tam profligant, quam eidem obscurando, larvando, quin depravando, inserviunt. Huc accedit, quod ejusmodi morbo tentatis oblata sibi quævis medicamenta, deglutiendi, omniaque possibilia auxilia adhibendi, insatiabilis adsit cupido, ita quidem, ut uno plerumque die non solum viro quodam artis medicæ prudentia nobili, sed ut plurimum etiam pluribus, usi, insuper a tonsore, parabolano, carnifice, circumforaneo, vetula, circulatrice, jatrolipte, jatromæa, incantatrice, auxilia petant, capita sua hominibus tresibus, quos nemo non pedes suos calcando indignos putaret, committere non dubitantes, adeo ut stultitia ipsorum quæstus sit impudentiæ, dum, Melampodem Actæonis Melampodi Amysthaonis comparando, ventriculus eorundem ob insanam, spe sanitatis recuperandæ, sese medicamentis ingurgitandi dulcedinem volutari quodam pharmaceutico jure meritoque æquiviparandus evadit.

Præte-



Præterea utuntur venæcidis, sæpiuscule homicidis, quippe qui, quoties dolosi spes affulerit nummi, certatim toties advolant, eventusque incuriosi, tempestive vel intempestive secantes sangvinem detrahunt; dein scarrificatione cutim dilaniant, vesicatoriis eamdem deglubunt, corpus intus & extus, enematibus, balneis, gargarismatibus eluunt, balsamis unguentisque idem iterum iterumque oblinentes. Cucuphis & castolettis caputque & præcordia circumvestiunt & onerant, frontemque frontibus insanum in modum exornant, suppositoriis anum pessariisque vulvam obstipant & obturant, errhinis nasum opplent, totumque corpus templi adinstar fumigiis suffitibusque vaporant. Amuletis fere a capite ad calcem usque se convestiunt, incantamentisque uti vel absurdissimis ipfos non pudet. Varia denique & mutabilis semper est ipforum tota vivendi ratio; modo, licet venter crepet vacuus & alimenta appetat, cibus abstinent, modo ferculis epulisque avidissime sese ad nauseam usque effarciunt, prouti amicus rei medicæ prorsus imperitus



peritus vel anus quædam ipsis svadere non erubescit, interdum proprio ingenio & ausu incitati, nonnunquam libri cujusdam medici, cujus sententias minus rite percipere queunt, lectione allecti & decepti. Ipsi enim sui ipsorum, quod probe notandum, empirici amant esse medici.

7. Istius modi malum, si hæreditarium (id quod haud raro evenit) existeret, longe difficilius curari, quam si aliunde ortum traxerit.

§. 4.

His præmissis, pro tenuitate ingenii mei, nam

Mecum habito, & novi, quam sit mihi curta supellex ad ipsam rem me accingam, calculos, licet gradus in- & extensivus ad certas, easdemque infallibiles, classes, ob multiformem disparilitatem & discrepantiam, redigi nequeant, ita subducens:

§. 5.

Quod initium morbi concernit, foricis instar se suo prodit indicio, si a cibo assumpto leviores tensiones

nes



nes presionesqve cum langvore & defectione, nec non prostratione qvadam virium sensuumqve hebetudine, qvibus se comitem adjungit tantillo levior respirandi difficultas, conjunctæ sentiantur. Accrescenti autem malo succedunt cardialgia, raucedo, cephalalgia in fincipite, præcipue cum carotidum aliquatenus molesta pulsatione; ructus acidi flatusqve & borborygmi, meteorismus ventris, præsertim a sumptis flatulentis, e. g. leguminosis, oleraceis, pingvioribus &c. tusficula, nonnunquam tusfis acerbior stomachica, qvæ a sumptis cibus haustisque liqvoribus semper exasperatur, &, nisi idoneis medicamentis ei succurratur, per annos plures durare dotest; anxietates, graviores presiones ac tensiones circa præcordia, cum dyspnœa, qvæ in numerosa hominum frequentia nonnunquam ad animi deliquium usqve exacerbatur, conjuncta; pyrosis, inter scapulas dorsi dolor, vertigo præsertim, aurium susurrus, horror intremiscens, quem excipit calor fugitivus, omnia membra, præcipue faciem, obrepens, apice nasi loboqve seu auricula infima frigescentibus. In nonnullis summæ cutis æstus deprehenditur, jam in his, jam in aliis partibus fragantissimus, inprimis fronte, qvæ haud raro ita increfcit, ut tegumentum capitis



tis tolerare nequeant, sed e contrario, desumpto pileo, levaminis ergo frontem vel gelidissimo admoveant parieti; deglutiendi difficultas; jam famem diutius possunt pati, jam pylophagi sunt & ceu abdomini nati, non profundæ modo, sed intempestivæ quoque & sordidæ gulæ, ita ut malacia & pica haud raro laborent. Nullam ut plurimum sitim persentiunt, eosdem vero nonnunquam fitis eo usque perurit, ut illam poculis Heracleis calicibusque quam plenissimis restringere & sedare nequeant.

§ 6.

Quod excretiones contingit, venter illis identidem non respondet, adstricta quippe laborantibus alvo, non sæpe autem alvo cita & dejectionibus vexantur; urinæ suppressio interdum per diem & ultra obtinet, eandem mox nec raro limpidam & aqvofopallidam more solito copiosiore reddunt, cujus quidem missio haud exiguum ægritudinis tam corporis quam animi miseriarumque affert levamentum; jejuna inprimis saliva copiosior est & abundanter adfluens, varii quidem saporis, jam falsi, jam austeri, modo dulcis, modo amari, modo jucundi, modo æruginosi & acerbis.



bi. Si mucedinis s. mucii narium excernendi habeatur ratio, madidi plerumque sunt nasi, quid? quod sæpicule coryza laborant. Quoad oculos, lippi reperiuntur, nec raro epiphora vexantur. Aurium sordes si spectentur, cerumen earundem redundat, idemque foetet & hirco pejus olet, fusco sæpe vel piceo-nigro colore præditum. Pituita denique adfatim & abunde, quin immodice & redundanter, ex faucibus varii coloris & consistentiæ excreatur. Transpiratio sic dicta insensibilis plerumque interrupta deprehenditur; rarissimeque, nisi operosis & molestis se exercent laboribus & fatigent, sudore madent, quo facto, sudorem quidem eliciunt & mittunt, plerumque tamen frigidum, eundemque per totum corpus non habent, sed in quadam corporis parte, v.g. dorso vel alibi, nimio sudore manare solent.

§. 7.

Seqviori sexui dicata catamenia raro bene votis respondent; in plerisque enim aut irregularia prorsus, sæpissime imminuta deprehenduntur & decolorata, aut plane subsident, agræque semper & corpore & animo observantur foemellæ tales, mensibus instantibus, quin

C

etiam



etiam nonnullis, dum in menstruis sunt, non belle est, sed ipsæ pallidæ & lividæ langvescunt & valetudine non bona fruuntur; quinimo etiam interdum nimio mensium fluxu, unde lumborum dolor, præcordiorum inflatio, asthma &c. oriuntur, rerum suarum trepidæ animiqve anxietate laborant. Individua præterea nonnulla, inprimis fœminæ, simul ac cubitu surrexerunt, jejunæ adhuc male admodum se habent quotidie, insecuta autem evomitione saburræ acidæ spontanea bene belleqve valent, illisqve per totum diem recte est, quod quidem apud quamplurimas sexus sequioris, tam nuptas quam innuptas, Havniciæ observavi, cum e contrario aliæ personæ, invalescente malo, quinque, quin pluries, sine ulla euphoria vomere viderim. Fluore albo & Leucorrhœa haud raro, aliæ minori, aliæ majori gradu, cruciantur, (cujus irritante acredine stimulatæ venereo peruruntur pruritu, quid? quod furore quandoque uterino corripuntur) tandemqve enervatæ atqve exsangves sterilescunt, & si utero gestare contigerit, abortum facile faciunt, pro uti mares, pollutionibus exagitati frequentioribus nocturnis, itemqve gonorrhœa afflictati habituali, impotentiam generandi contrahunt. Subjectis quibusdam



dam fluxus hæmorrhoidalis familiaris est, qui quidem fluxus, secundum Hippocratem, si malo hypochondriaco supervenerit, idem solvendo infervit; nonnulla autem hæmorrhoidibus cæcis torquentur. Hæmorrhagiæ quoque varii generis iisdem sunt familiares. In nonnullis varias cutis efflorescentias, brevi quidem temporis spatio evanescentes, in aliis autem varias variis in locis erosiones vel ulcera quæ plurima, in lumbis, natibus &c. pure quodam tenuiori manantia, itemque scabiem tineamque observavi. Tumoribus etiam tonsillarum, uvulæ, item parotidum aliarumque glandularum id genus ægrotantium obnoxium est, ab œdematibus raro immune aphtisque.

§. 8.

Spasmi insuper varii fugitivi omnes corporis partes, quæ fibris gaudent musculosis, imprimis fauces pervadunt, ibidemque sæviunt, in sceminis præsertim, quæ globulum quasi quendam ab imo ventre ad gulam usque volutatim adscendentem, & suffocationem minitantem, se sentire volunt. Musculi abdominales spasmis per vices extra modum convelluntur, iisdem au-



tem foeminae magis sunt obnoxiae, quam masculi. *) Spasmi intestinorum immites & efferati acerbissimas producant colicas; musculique porro Masseteres & Crotaphitae inter masticandum motibus spasticis graviter afficiuntur; Trismus & oppositum vitium oris hiantia spasmodica non raro obtinent; linguaque praeterea vel minimo animi pathemate, ipsis insciis, motitur, labia itidem concutiuntur & tremunt, ita quidem, ut balbutiant lingua titubent, quin etiam interdum vox eosdem deficiat, & aphonia nonnunquam totali, imprimis ob animi impotentiam, afficiantur, planeque conticescant & obmutescant, quod quidem experientia, optima rerum magistra, nimis pro dolor! constat. Oculi quoque praeter voluntatem nitent. Priapina penis sine libidine animadvertitur erectio. Aliquando ex improvise inopinanter a sede sua profiliunt tales aegri, imo haud raro omnibus artibus

*) Ipse meis oculis vidi foeminam motibus musculorum abdominalium convulsivis adeo vehementer exagitatam, ut abdomini reprimendo, ne lecto excideret, necesse fuerit imponere manum, quae tamen malleo quasi quodam repercussa resiliit.

tubus subito contremiscunt; repentinæ infirmitates eosdem insperato percellunt, ita, ut, quamvis apertis oculis omnia (ut ipsi postea fatentur) obvia videant audiantque, omni tamen commotiuncula destituantur, mutique & elingves per minuta aliquot, imo quadrantem horæ & ultra, lapidis instar jaceant. Lipothymia quoque gravissima seu quadam syncope subinde per horam integram & ultra aliquando vexentur, a qua ægre & difficulter experge fiunt & excitantur. Epilepsia porro, aut omnium tam ex-quam internorum sensuum abolitione subita corripuntur, non absque totius corporis vel quarundam saltim partium agitatione, nunquam autem non sine musculorum abdominalium concussionibus, violentiori, quod quidem ultimum hujus epilepsiæ signum est characteristicum.

§. 9.

Doloribus ut plurimum rheumaticis, subsultibusque tendinum vagis & transitoriis, interdum satis vexantur diutius, quippe qui per annum & ultra durare possunt, ultro tandem evanescentes. Hemicrania quoque & clavo sic dicto hysterico non semel laborant.

C 3

§. 10.



§. 10.

Quod ad sensuum attinet vitia, jam objecta minime præsentia sibi videre videntur; jam nubecula oculis oberrat, jam spectra iis apparent; oculiqve non raro inflammationem capiunt. Plus justo sagaciorem nasum habent, ubi enim nihil olet, ille nunc cepam, nunc allium, nunc brasficam, nunc caryophyllum, nunc lilium convallium, & cætera, quæ nescio, olfactat. Varii auribus observantur tinnitus & sonitus; modo tiliarum cantum, modo tympanorum strepitum, jam nolarum clangorem, & resonantiam jam raucam, jam acutam fingunt. Gustus etiam ejusmodi ægris ita depravatus est, ut eodem bonitatem rerum sibi oblatarum explorare nequeant, quæ enim revera sunt dulces, illis sunt amaræ; pomum scilicet aliis jucundum ipsis est austerum, & quæcunqve aliis falsa reperiuntur, his insipida sunt &c. Tactus diversimode variat; nonnulli enim, quæ sub tactum fere non cadunt, eodem dignoscere valent, aliorum autem attrectatio hebescit. Paucis: Omnes illorum sensus vel aciei subtilitate, quin excessu, vel hebetudine, quin defectu laborant. Somno raro quieto & tranquillo fruuntur, jucundo rarissime utun-



utuntur, in somnis enim varia insomnia & terriculamenta videre sibi videntur. Jam ab incubone deluduntur, jam ab ephialte noctu supprimuntur, nonnunquam multas noctes insomnes ducunt.

§. II.

Quod animum talium attinet, mox animo sunt celfo atque erecto, Reges sese vel Magnates existimantes ab omnibus honore coli volunt, mox humili & abjecto, mendicos sese fingentes, in carcerem conjiciendos vel coniectos &c., jam in gaudio sunt frontemque hilares exporrigunt, quin toti lætantur, præclare cantitantes, commode saltantes, tripudioque nonnunquam sic dicto S. Viti se ridiculose fatigant, donec ad languorem dati a viribus deficientur & sopore obruantur. Jam tristes, conturbati & permæsti deprehenduntur, vix ac ne vix quidem a vi sibi ipsis inferenda abstinentes, mox, tristiculi sunt & submæsti sese consolantur, mox, mutata rerum facie, vertumno inconstantiores luctui se dantes, more Asiatico flebiliter canunt, jam manus complicantes & pressantes caput parieti sæpicule illudunt, jam easdem supinas ad æthera tollunt supplicantes. Jam meticulosi sunt, quemlibet obvium extimescen-



mescentes, qvin pluma aut folio facile moventur, jam;
 deposito timore, stolidi audacia feroces sunt, hostibus,
 quotquot sibi fingunt, interitum minantes eosdemque
 execrantes. Jam sunt in alios misericordes, jam inhu-
 mani, qvin mox singulari immanitate & crudelitate
 præditi; jam parci sunt & tenaces, aurumque inhiant ut
 devorarent, jam sunt liberalitate prolixæ & benefici; jam
 pii, sancte se gerunt, jam a pietate remoti religionem
 ipsam ipsumque Deum teterrime violant. Imaginatio
 talium ita læsa existit, ut variarum rerum falsam sibi
 induant persuasionem, jam suum nasum vitreum esse
 minimoque quidem tactu frangi posse, jam podicem
 esse lapideum & infrangibilem opinantes, adde quod
 sibi fingunt, mundum, si urinam faciant lotiumque
 reddant, diluvio periturum fore. Imaginatio nonnul-
 lorum ita est intensa, phantasiaque tot rerum volitan-
 tibus simulacris oppleta, ut formarum imaginumque
 prægnantes a prosa abstineant oratione, versus funden-
 tes ex tempore, ridiculosque plerumque carminibus
 sensa animi exprimentes; qualis vir quidam Havnix
 notissimus, qui nullam nisi metricis legibus ligatam
 sententiam profert; qvin etiam præceptor meus, ante
 laude memoratus celeb. C. TODE in collegio publice
 narra-

narravit historiam de virgine quadam, quæ lecto affixa, pura pura carmina cecinit, medicumque vocatum sequentem in modum allocuta est:

Willkommen, mein lieber Herr Professor,
 Sie seynd doch nicht so arg, als der Assessor,
 Sie müssen mich nicht zur Ader lassen,
 Sonst werd' ich Sie zeitlebens hassen,
 Geben Sie mir keine Mixtur,
 Denn diese ist wieder meine Natur
 Pillen kan ich auch nicht leiden,
 Und solte ich auch gleich verscheyden.

§. 12.

Nemo autem omnibus taliter ægrotantium affectionibus singulisque diversissimorum morborum symptomatibus recensendis par est, quare ab iisdem scrupulosius congerendis & coacervandis superfedens, ad causas eorundem me conferre necesse habeo, ast hic aqua mihi hæret; inconsideratissimæ etenim & demen-

D

tisfi-



tissimæ temeritatis plenus forem, si ego adhuc in arte medendi tiro, tot quamplurimos, rei medicæ peritia decantatissimos, nobilissimos & optimos, secum dissentientes, inter se conciliare & conjungere viros mihi præsumerem. Cum itaque Æsculapiis ἀκριβέστατος κομμάτος καὶ οὐκ ἀκριβέστατος causa horum malorum in medio relinquatur, utpote tenebricosa, obscurior & caliginosa, mihi eadem confimiliter ficco prætereunda est pede, ne ante barbam senes docere videar. Usus itaque re ipsa experiundo docet, cardinem totius rei in eo verti, ut animadvertamus, horum malorum causas præcipuas esse quaslibet res, quæ corpus & mediante corpore mentem, vel mentem & mediante mente corpus debilitare valent, modo tantæ non sunt vehementiæ, ut vel subitanæ mortem, vel saltim acutum aliquem morbum inferant, quas quidem omnes sigillatim enumerare supervacaneum duco, cum ex pathologia generali omnibus medicinæ cultoribus (his enim scripsi) notæ sunt & manifestæ. Non possum tamen, quin tribus observem verbis, istiusmodi malum ex nimia corporis quiete animique motionibus originem principalem ducere, & vires inopinanter acquirere, si jure hæreditario traditum fuerit.

§. 13.

§. 13.

Quod ad prognosin pertinet, verbo tantum notare lubet, ejusmodi ægros scorbuto sæpius vel hydropo corripit, quibus omisfis seu levi cura & sorditer neglectis, febre hæctica mori.

§. 14.

Causa itaque, origine nec non prognosi cognitis, facilis evadit curatio; cum vero ex debilitate corporis vel mentis, cui irritabilitas incunabula debet, morbus ortum trahat, Hypsæa cæcior facile videt, filium Æsculapii ad sanitatem procurandam omne ferre punctum, qui corpori vires dare, mentemque tranquillando corroborare optime novit, cui quidem scopo obtinendo congrua vivendi ratio omnibus medicamentis palmam præripit. Nimis vero longus forem & prolixus, si sinuosis ambagibus & anfractibus congruum regimen verbosius exponere aggrederer, dum milleformis istiusmodi mali unaquæque facies aliud vivendi genus requirit. Cardo tamen totius rei in eo vertitur, ut Imo tonus suus primis viis restituatur naturalis; 2do ut ani-

D 2

mi



mi tranquillitas conservetur, & 3tio corporis motus sufficiens, non quidem palæstricus sed ad naturam accommodatus, concitetur. Si ab his discesseris, fatendum quoque est, symbolam suam conferre auxilia medica idonea, inter quæ præ ceteris eminent Cortex Peruvianus, iusta dosi iustoque tempore adhibitus, nec non balnea frigida optime conveniunt. Cura vero palliativa etiam non est negligenda & contemnenda, nimum sæpe enim necesse est, urgentia symptomata & vehementiora, quæ subitam medici opem poscunt, consopire, placare & mitigare, inter quæ spasmi atque convulsiones principem locum obtinent, quibus levandis & plerumque tollendis nihil melius, quam Assam fœtidam itemque opium reperimus, seu per os adsumpta, seu ano injecta, quin, quando urget necessitas, utrobique adhibita, idque sufficiente dosi; longe enim majori copia ejusmodi ægroti talia medicamenta, quam alii ferre possunt, id quod ipse sæpius experientia edoctus compertum habeo, inprimis vero casu, qui agmen claudet, meæque dissertatiunculæ colophonem imponet, sequenti: Ad matronam quandam honestam hujus anni præterlapso mense Julii hora quarta matutina vocatus

tus



tus fui. Illa, quæ pridie rem quandam, quam nescio, ægerrime tulerat, ad excandescentiam idcirco agitata, periculosum in morbum ex anxietate animiqve ægritudine conjecta, terribilibus præcordiorum pressionibus, salvis tamen sensibus, corripiebatur, constrictione faucium, anxietates quam vehementissimas comitante, vexabatur, convulsiones musculorum abdominalium experiebatur intensissimas (cf. Not. §. 8. illa enim ipsa est, de qua hic sermo) ita ut vix & ne quidem vix in lecto retineri potuerit. His observatis, remedio extemporaneo decumbenti auxiliaturus, cum enematibus applicandis deesset occasio locusqve, sequentem formulam præscripsi:

Rec. Essentiæ assæ fœtidæ drachmas tres

Laudani liquid. Sydenh. drachmam unam

M. D. Vitr.

Cujus medicamenti ternionem ex templo propinavi, sed conatus meus fuit vacuus, elapsa enim semihora, cum adhuc omnia symptomata absque ulla euphoria, adessent, alteram quoque partem tertiam exhibui; semihoræ spacio symptomata remiserunt, quo animadverso, ternionis reliqui 50 guttas quavis
femi-



femihora fumendas præcepi. Medicamento hoc toto consumpto, ægotam dulcis & tranquillus complectebatur 4 horarum somnus, quo finito, morbus profligatus fuit, & recuperata membrorum firmitate convaluit, adhucdum etiam inoffensa vivit valetudine, quid? quod pancratice & athleticæ valet.

TANTUM.



T H E S E S.

I.

Motus foetus in gravidis, ante medietatem quinti mensis fen-
satio, subsultui tendinum musculorum abdominis, ejus vel foetu
vel flatibus extensione adscribendum.

II.

Hypochondriaci & Hystericae, longe, aliis, majori dosi;
opium aliaque stupefacientia ferunt vegetabilia; acido quippe
primis in viis nunquam non scatent.

III.

Testium inflammatio a gonorrhoea suppressa, unguento cu-
rata neapolitano, non probat eam fuisse veneream.

IV.

Metrum exactum in versibus conscribendis hebraicis ser-
vare, est barbari, rhythmisationem hypochondriaci.

V.

Græci, sententiam judaeorum rabbinorum, de defectione
masculini generis in leporibus, delusionis, non faciendi exfortes.

VI.

Laboremus ut nostris temporibus, inopia vel potius defe-
ctu, quarum antiquitas erat feracissima, sanctarum vaticinatri-
cum; non nostri temporis corruptioni, sed eiusdem, quæ habet,
quoad medicinam, præ vetustati, prærogativis tribuendum.

VII.

VII.

Ad Hysteriam curandam, olim accersebatur sacerdos, nunc medicus.

VIII.

Debilitas corporis, judaeis præ aliis gentibus familiaris, minime circumcissioni, sed eorum vivendi rationi natales deber.

IX.

Balneatio, feminis judaicis, post catamenia, mandata, & laudanda & culpanda.

X.

Aegyptiis iam usitata, ut quidam hariolantur, circumcissione, haud concludendum eam, Abrahamo a Deo non fuisse præceptam.

XI.

Gonorrhoeam curandi, nunc temporis, methodus, & optima est & antiquissima; judaeis quia, Mosis tempore, iam erat trita.





יגח טועניו כראם בקרן • צדיו יבלום במתג ורסן
חרבו חדה חניתו כתורן • קיבל אלף כקש ותבן •
ה'ה הרופא המומחה והמובהק המושלם בכל
חכמה • עטרת המליצים ונזר פייטנים המפורסמים
בזמנינו כמותרר יצחק נר'ו לעד יזרח אורו •

ויצא יצחק מן קאפנהאגן לשוח בשדה ביטצוייט
מה שיחו? ללקוט כל שיח השדה מן הארז אשר
בלבנון ועד האזוב על דבר הבוטאניקא והרפואה • ולחפור
בארות אשר חפר בחייו הרופא הגדול מוהר"ר צדיק די מויה
נ"ע ויסתמום אנשים ריקים זרע מרעים נקראים בשם נמולים
ובלב ערלים • ושב וחפר ומצא מים חיים קרים וטהורים •
לרפואת הרבים • ומיר נהפך קלסתר פניו ונרמה לאברהם •
כאשר ראיתי אני הנחבא אל הכלים החכם השלם הזה אשר
בירו משען ומשענת סברא • הקש • התחכמות • וההגיון • הרחיב
העיון והחקירה בכל חכמות שבעולם • אז אמרתי טובה
צפורן של אחרונים על שמריהם לא קופאים מכרים של
ראשונים אשר היו כ"ח גדולים בזמניהם ואומנים כלי כלים
אשר לנו היום לרוב ועורף • כי גם ראשונים גם הבאים
אחריהם • חכמה נכרידה אינם מבינים • נרמו לשועלים
מחבלים כרמים כרמי השכל והעיון • משחירים והריוזיפי חכמת
הרפואה • אצים ורצים כשרצים • נשענים על קנים רצועים •
ומעיילין פילא כפומא דמחטא • ובהיות שטעמתי מצוף רבש
אמרותיו הטהורות • מפנינים יקרורת • עריכות ושמודות • אמנם
ידעתי כי הוא רמי לפרצורא דתותי קלא כיון רנביט נביט •
ועל

ועל זאת שפתי לא כליתי • כי לו נאה כל שבח וגדולה לכה
מרום קודש היכל רופאים ררך סלולה • להוציא כצפנת פענח
סתרי רפואה לאורה • ולטאטא במטאטא השמר כל סתי
וקליפה • ותולה ארץ על בלימה ינחחו בנתיבה ישרה • ויהי
לו יד ושם בחכמי איירופ"א • לשמחת משפחתו הרמה •
ובמהרה ישמעו אלה הרברים • ויורע יצחק וימצא מאה
שערים • הכ"ר הצעיר טיכסן הוף ראט ופראפעסר בשיבת
ביטצויא במדינת מעקלנבורג יע"א • היום יום ו' ח' טבת
שנת ושב ורפא לי לפ"ק







THESES.

I.

in gravidis, ante medietatem quinti mensis sen-
tendinum musculorum abdominis, ejus vel foetu
nisione adscribendum.

II.

adriaci & Hystericae, longe, aliis, majori dosi,
stupefacientia ferunt vegetabilia; acido quippe
anquam non scatent.

III.

inflammatio a gonorrhoea suppressa, unguento cu-
o, non probat eam fuisse veneream.

IV.

exactum in versibus conscribendis hebraicis ser-
ri, rhythmisationem hypochondriaci.

V.

sententiam judaeorum rabbinorum, de defectione
is in leporibus, delusionis, non faciendi exfortes.

VI.

is ut nostris temporibus, inopia vel potius defe-
antiquitas erat feracissima, sanctarum vaticinatri-
tri temporis corruptioni, sed eiusdem, quae habet,
am, praevetustati, praerogativis tribuendum.

VII.